

quod sicut stolidum et brutum animal, quanquam robustum et vegetum, tam exquisitae arti est inutile, quae non tantum viribus sed etiam subtilitate et ingenio propter lacertorum complicationem multiformem agitur, — quippe cum sint eadem animalia vasti corporis, sed¹ propterea nequaquam (quam) scenicis motibus idonea, etiamsi more athletarum eis perfricatio adderetur — : ita illi inertes iudicantur, quia primis pueritiae temporibus ludis scholaribus deputati variarum studia doctrinarum nequaquam in se admittunt, sed inexercitati et invalidi veluti stolidi et insensati animalia a profunda et multiplici rerum indagine redduntur; de quibus merito supra dictum proverbium cantatur. Et quoniam propriis huic arti cybis ipsi athletae vescebantur — sicut erant colyphia — unde scilicet et vires augerentur et corporum habilitas² industriae non periclitaretur, idcirco subsequitur in eodem proverbio, quod etiam impensae perdantur, quae indebite negligentibus et minime aptis ingeruntur.

Nonnulli ceroma intellexerunt esse artificium quoddam iuxta morem antiquum pingendi; cui, ne facies³ et pulchritudo picturae vestutate temporis aboleretur, cerae mixtura⁴ apponebatur modico igni huic temperamento adiecto, ut aequa mensura colorum ceraeque concordante nec venustas et gratia coloribus nec cerae perspicuitas deesset. Hoc genus perpingendi etiam a Boetio viro doctissimo commemoratum adhuc suo tempore viguisse dubium non est. Quadam igitur inflexione nominis adducti sunt, qui hoc senserunt esse ceroma, ut verbi gratia sicut homo ab humo, ita ceroma a cera originem⁵ ducere existime[n]t. Sed hoc non satis prudenter intellectum etiam ipse sensus manifestat. Quam ob rem superior expositio, quae et securior atque secretior antiquiorque iudicatur, vobis credo satisfacit nugasque varie commentantium apud vestram prudentiam extinguet. Hoc de parva re⁶ sine fraude apud iudicium prudens vestrum deposui, carissime virorum, oroque vestram ingenuam prudentiam, ut fastidiosorum supercilia declinantes apud vos contineatis, quae fidelis animus et amici non frivola caritas transmisit. Ceterum placeat necne, salva stabilitate amicitiae hoc quod digessi postulo vestris scriptis edoceatis. Nolo enim nec garrulitate⁷ improbitatem incurrrere nec rursus taciturnitate innata⁸ in his, quae efferenda sunt, iuste dampnari.

Finit.

1) sed *evanuit in cod.*

2) *abilitas cod.*

3) *faties cod.*

4) *cerae mixtura] curēmixaire cod.*
corr. cod.

5) *origine cod.*

6) *depravare*

7) *garrulitatē cod.*

8) *taciturnitatē nata cod.*